



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

284. feria 5. de Mansuetudine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 5. Domin. 16. post Pentecost. 503

odit, & amat virtutem. 12. Palam dicit & agit dicenda & agenda. 13. Vulgi hominibus sententiam suam, & rationem gubernandi non prodit. 14. Alterius nutu, nisi praesidis, non potest vivere. 15. Non facile admiratur: quia nihil ei magnum est. 16. Injuriarum non meminit. 17. Aliorum nimius nec laudator, nec vituperator est. 18. In molestijs non est querulus. 19. Mavult res honestas, quam utiles, possidere. 20. Habet vocem gravem, motum tardum, orationem sedatam, non festinat, quia paucis studet, non contendit vehementer, quia nihil magnum aestimat.

MEDITATIO CCLXXXIV.

Feria 5. Domin. 16. post Pentecost.

De Mansuetudine.

Aspiciam D. IESVM Mansuetudinis exemplar, velut columbam sine felle. Per amicum eius fieri particeps.

Conf. 1. Mansuetudo est virtus iram moderans, per quam mens injuria affecta non exacerbatur, nec amaritudo cordis exterius indicatur, sed est homo quasi non audiens, nec habens in ore suo redargutionem.

Conf. 2. Incitamenta. 1. Exemplum Dei, qui innumeris hominum peccatis provocatus non irritatur, & solitis beneficijs nos cumulare non cessat. 2. Doctrina Christi, qua
caele.

504 FERIA 5. DOMIN. 16. POST PENTECOST.

coelestes cives pronuntiamur: *Beati mites.* 3. Exemplum D. IESU, qui dicitur Filius David propter Mansuetudinem, quam præ alijs virtutibus cum humilitate in se imitandam proposuit: *Discite à me, quia mitis sum.* Crucifixoribus suis nihil minatus, sed pro ijs Patre exorabat, qui alias tam severè suorum servorum in Ecclesia injurias ulciscitur. 4. Injuriam inferens misericordiam dignus est magis, quam iram, qui si malus est, æternum illam luet, si electus, aliquando poenitentiam eluet. 5. Multa bona ex mansuetudine proveniunt, injuriantem vincimus, remissionem peccatorum meremur, pronuntiamur Beati, tranquillitatem acquirimus mentis, benevolentiam comparamus hominum, januam cordis veritati intelligendæ aperimus.

Conf. 3. Actiones ejus. 1. Injuriam nobis illatam flere, voce, & alijs signis. 2. Iram intus cohibere, & bonis considerationibus, aut alijs medijs frenare. 3. Cor tranquillum & serenum inter injurias servare. 4. Injuriam inferentibus vultum serenum, & verba blanda reddere, iisdem beneficia impendere, 5. Injuriam oblivisci.

MEDITATIO CCLXXXV.

FERIA 6. DOMIN. 16. POST PENTECOST.

De Modestia,

Videbo